

conuerti uoluerunt ab omni
recte sua. Habent cer
uisti & se iuri medicina
te praesentant. ut nihil
fuis meritis tribuan
re depurantes. de his in
timelibus uicis estantia
nullis qd de talibus a re
im sui de uirtute inu
doloru in si or. Nihil
numo id est in sca script
alio necessarii si quis
eq. quicquid qd nomum
tut. Tu aut neglexe
im alius in nulla sua.
omne sua; Omnes in

tanti ad sustentatione huius pre
sentis pntent uicis: qd e mundi
delectatio quicqz in massi parat qd po,
Vnde dicitur; At illi necdixer. & abier
aluis in nulla sua aluis ad negotiatio
ne sua; In nulla re e. In terrene
inmoderate inuimbere. In negotia
tione uero re e. ad honi uero iecu
larium lucris inhiare; Quia enim
aluis in tentus labori terrene. aluis
uero mundi huius ad honib; delectis
mysteria incarnationis dominice
pensare & sectin illu uiuere diffimu
lat quasi actuali uel negotium p
gens. uenire ad regis in ptaf recusat
I. Plerumq; quod e gratia in nulli
uocant in am mouit. pium
fai etiam in fecerit; Vnde et in libet.

Medic...

peracti
um opera

in quibus
et in quibus

33



Continetur hoc Volumini
DUNCAN LIDDELL SCOTT

Disputationes,

Theses Logicae

Propositiones Astronomicae de diebus & Annorum differentijs

De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq; Instrumentis.

In III. Meteororum de Nisi generatione Disp. I.

In III. Meteororum de Concoctione Disp. II.

Dissp. Pathologicarum, I. de Morbis.

II de Causis Morborum in gre.

V.

VI.

IIIX.

Dissp. posterior de Protagijs

de Peste diss. prior.

De Natura & Facultatib. medicamentorum.

De Compositione & Preparacione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib., Scarificatione &

de Febris Natura & disp. I.

de Febris II.

de Febris III.

52.

DISPUTATIO
DE
ICTERO FLAVO
ET NIGRO,

Quam

In illustri Academia IVLIA,

SVB PRAESIDIO

Viri Clarissimi, Excellentissimi,

DN. IOANNIS WOLFII,
PHIL. ET MED. D. AC

Professoris publici,

Publico examini subijcit

VALENTINVS EMERICVS,
CERVIMONTANVS SIL.

Ad d. 15. Aprilis

IN AVDITORIO MAIORI.



HELMAESTADI
TYPIS IACOBI LVCII,

clō 1ō cXIV.



VIRIS,

Reuer. do Clariss. is Excellentiss. is,

DN. IOANNI EMERICO,
MED. D. Reipub. Hirschbergensis
Physico ordinario:

DN. M. IOANNI THRALLIO,
Ecclesiae Hirschbergensis Pastori
vigilantissimo,

DN. IOACHIMO CVRTIO,
PHIL. ET MED. D. AC
Mathematico insigni.

Agnato, ac fautoribus suis colendis,

Pagellas hasce medicas
offert

VALENTINVS EMERICVS,
Auth. & Respondens.





THESIS I.



*V*ando biliosus humor uniuersam corporis inficit superficiem, color ille qui relinquitur, consuevit appellari **ICTERVS.**

2. Qui quidem morbus non est, ut ex morbi apparet definitione, neq; causa morbi, cum nullus morbus ab illo efficiatur. Sed Symptoma qualitatis aspectabilis.

3. Nam cum per consuetas naturæ vias, decenter biliosus humor non transit, sanguini miscetur, ac ad corporis superficiem tanquam quid præternaturam, ac virtuti inimicum, transfunditur. Atq; in hac duplici quidem retinetur nomine, primum quia crassior est, quam possit per angustos cuticulæ meatus, expurgari: deinde quia ipse etiam partes exteriores interioribus debiliores sunt, & ad recipiendum aptiores, densiores etiam, quia frigidiores, ut motum humoris retardent.

4. Est igitur **ICTERVS** qualitas totius mutata aspectabilis, facta ab effussa bile in corporis superficie, propter folliculi fellis, pori bilarij, vel splenis, læsionem.

5. Actio folliculi ut & reliquarum partium læditur, vel ab errore externo, vel læsa facultate.

6. Errore externò quidem, si morbi, vel causæ morborum actioni incommodantes, extracista, pori bilarij, vel splenis, fuerint constitutionem.

7. Quales morbi sunt, ventriculi & Epatis intemperies, scirrhi, ac meatuum bilem utramq; vehementium obstructiones.

8. Cause verò, bilis utraq; qualitate, vel quantitate peccans, copiosa biliosorum alimentorum ingestio, corporis constitutio, ira, ætas, anni tempus &c. de quibus Galenus. l. 2. temperament. morsus & punctiones venenosorum animalium, quorum exemplum habemus in imperiali seruo. s. de locis aff. c. 7.



9. *Læsa facultate læditur actio, quando morbus est in ipso folliculo, vel splene aut poro bilario, siue ille intemperies, siue obstructio.*

10. *Vnde omni morborum genere partes organicas affici posse agnoscens Galenus, addit, folliculum fellis, melancholicig³ humoris receptaculum, unum habere imbecillitatis principium, veluti cætera quoq³ naturalia instrumenta, à partis Intemperie ortum. l. 5. de locis aff. c. 7. l. 6. c. 1. Passimq³ frequentiores huius imbecillitatis causas esse dicit, calidas & frigidas intemperies, utpote quod fi-
ant à qualitatibus maximè actiuis, & nunquam ferè non obuijs.*

11. *Principales ICTERI differentie sumuntur ab ipsa qualitatis natura, ac rebus præternaturam quas sequitur, diciturq³ ali-
us felleus, splenicus, flauus, niger, alius Symptomaticus, alius Cri-
ticus, benignus, malignus; intensus, remissus, &c.*

12. *Imminere ICTERVM colligimus ex causarum, affectionumq³ præsentia, quarum iam facta fuit mentio, item colore partium, præsertim oculorum à naturali paulatim deflectente.*

13. *Factus in genere facile patet, cum omnis qualitas sit muta-
ta aspectabilis.*

14. *Signa differentiarum ex affectionum & causarum signis proprijs, pluribus peti possunt, nos paucis attingemus.*

15. *Si substantia Lienis adsit obstructio, præter urinam nigri-
cantem, crassam, dolor huius adest tensius, motus corporis diffici-
lis præsertim in ascendendis scalis, ac sublimioribus locis adeundis;
quibus aliqui addunt abolitam ventriculi appetentiam, noctes in-
quietas, & huiusmodi alia quæ morbos comitantur melancholicos.*

16. *Sin verò folliculi, remissa satis corporis apparet citrinitas, alui excrementa manent naturalia, aut naturalibus aliquomodo redduntur sicciora, aridiora, ac erroris externi absunt inditia: Nam cum hac bilis admodum tenuis sit, ac qualitatis mordicatoris, ve-
hementius facultatem stimulat, ut exigua eius in corporis super-
ficie relinquatur copia. Contrarium autem fit in poro bilario, cuius
obstru-*

obstructionem sequitur color longe intensior, pulsus durior, urina crassior, & ut notat Bauhinus. l. 1. Theatri Anat. c. 45. fæcum albicantium excretio.

17. Ut plurimum tamen harum partium aliqua præcessit imbecillitas, victus præcedens aptus fuit gignendis crassis humoribus, qui interdum etiam diuersos tumores excitant, vel etiam plane in calculos abeunt, & ab alijs causis obstruentibus, in primis resistendi distinguuntur pertinacia.

18. Atq; ut hisce signis qualibet ferè innotescit splenis, folliculiq; obstructio, ita à tumore factam clarius innuunt partium grauitas, magnitudo aucta, durities, quibus progressa vitij magnitudine, succedunt anhelitus læsio, tussis sicca ac arida, obtensionem diaphragmatis.

19. Quod si omnis abfuerit obstructio, debilitas partium ex aliqua intemperie suspecta erit, cuius imbecillitatis causam manifestabunt signa cuiuslibet intemperiei propria.

20. Breuiter; ex communissimis discrasijs calidam monstrabunt, sitis, febris adiuncta, qualitas loci affecti tangibilis, dolor, frigida iuuantia, calida nocentia, intus vel extra adhibita.

21. Frigidam verò signa quodammodo contraria, causa antecedentes, cibus potusq; frigidus, anni tempus &c. Fuerunt tamen folliculi intemperies absq; manifesto Epatis consensu, aliquoties ita obscura, ut solis iuuantibus & nocentibus detecta sint.

22. Antequam ad curationem veniamus, hoc unicum restat, ut INDICATIONES colligamus, sunt verò duplices; Altera morbum, morbiq; spectat materiam, quæ quidem cum possit esse multiplex, varias iterum parit diuisiones; Sic si facultus cistæ vel etiam splenis ledatur intemperie, obstructione, scirrho, calculo, singula hæ affectiones proprias habebunt indicationes. Altera de colorationis mutationem.

23. Quam facile autem his indicationibus satisfieri possit, diligenter consideranti differentias, non solum à qualitate mutata, &

illius causa petitas, sed etiam à tempore, coniunctis, & consequentibus, erit manifestum.

24. Verum cum melius sit sanum permanere, quam in affectum aliquem incidere, debita sex rerum non naturalium administratione, ICTERI causa præcauenda sunt, aëris scilicet, cibi & potus, somni ac vigilia, motus & quietis, inanitionis & repletionis, ac animi pathematum.

25. Exempli gratia; calida ne fiat folliculi Epatisue intemperies, cibus, potusq; erit refrigerans, qualis sunt pisces saxatiles, pti-sana, vinum tenue, & quod olygophoron dicitur, vel aqua. Atq; hæc non solum potestate sed etiam actu & præparatione possunt esse talia; quibus respondent balnea aquæ dulcis, exercitia moderata, animus tranquillus & sedatus, morborumq; calidorum erroris externi rationem habentium, ut & humorum, tempestina amotio.

26. Intemperies verò facta, non neglecto victus ac reliquarum rerum non naturalium regimine, curari poterit, medicamentis contrarijs, ex quibus ad appetitum patientis varia formula conficiuntur, & vel intrinsecus vel extrinsecus exhibentur: intrinsecus quidem ex cichorio, hordeo, portulaca, lactuca, sale prunella, & huiusmodi alijs, cum modica quantitate sacchari aut syrupi convenientis; exempli gratia: Endiuiæ, rosarum: Extrinsecus autem, emplastra ex carne cydoniorum, succo semperuiui, Nymphææ, ac herbis contusis, cum farina hordei, unguento santalino, Ol. rosarum, Ranarum, quibus addi potest penetrationis causa, Camphoræ, vel etiam aceti modicum.

27. Nec diuersa Lienis ab hac intemperie est præseruatio; Curatio tamen fiet per splenetica, qualia intrinseca conficiuntur ex carne citri, limonum, succo berberorum, ribium, acetosæ; Extrinseca vel ex iisdem, aut consimilibus, albo camphorato, & refrigerante Galeni.

28. Calida discrasia succedit frigida, cuius ex lege oppositorum, facilis indicati generalis est inuentio.

29. In spe-

29. In specie autem cista vel Epatis alterari poterit, medicamentis ex Absinthio, Centaurio minore, Eupatorio, Costo, Cinnamonommo, Zingibere, Rosa Solis Anglica, Bals. Sulph. simplici, Essentia Guaiaci.

30. Lienis, lupulo salictario, scolopendrio, cuscuta, capparibus & ex his confectis, ut sunt Trochisci & oleum.

31. Sed cum simplex intemperies vix diu solitaria subsistat, quin sibi consentanei humoris eiusque superuacui prouentum faciat, illoque vel obstructionem intendat, vel etiam actu efficiat. Quid ratione utriusque faciendum, Galenus in libris Meth. Med. passim diligenter expressit.

32. Futuram obstructionem precauendam esse docet, victu attenuante, detergente, de quo peculiarem etiam libellum, qui videri potest, nobis reliquit.

33. Grauiusque nos admonet, antequam alteremus, aut factae obstructioni medicamenta deobstruentia administremus, perpetuo incipiamus a vacuatione illorum humorum, qui tanquam causa futurae obstructionis, confluunt ad partem affectam.

34. Vomitorij quidem, si materia ventriculi sursum feratur, deiectorij vero, si deorsum, vel in intestinis fuerit.

35. Lenita aluo, & vacuata e primis vijs materia, leuiore aliquo medicamento, inter quae Hieram insigne esse dicit, ipsam demum in cista, vel splene existentem obstructionem, aggrediendam esse.

36. Hac ratione, ut humores impactos, viasque obstructas incidentibus preparamus, cuiusmodi in cista vel Epate sunt decocta gallorum medicata, radicum graminis, apij, petroselini, & nonnullorum superius alterantium nomine adductorum, quibus utiliter admodum aliquid adijcitur serapij, de duabus & quinq; radicibus, Eupatorij, Cichorij cum Rhabarbaro, vel consimilis.

37. In liene autem corticum fraxini, tamarisci, asari, filicis, Milz atella, cum oxymelle scyllitico, aceto sambuci, Syrupo Bizantino,

no.

no, de fumaria, Calamintha; præsertim ex herbis simul pellentibus flatus, si horum aliqua adsit suspitio ac quæ aliquam adstringendi vim habent adiunctam, quemadmodum observatur in absinthio; nec putandum est talia ob vim adstringendi, qua sunt prædita, viscerum meatus obstruere, atq; ita noxam inferre, cum longe maior utilitas expectanda sit, dum viscera confirment, ne ad excrementa recipienda reddantur aptiora. Gal. l. 5. simpl. c. 11. l. 6. §. de Eupatorio.

38. Quibus omnibus addi possunt, spiritus vitrioli, Sulphuris, Tartari, Terebinthina albus.

39. Tandemq; signis coctionis apparentibus humores obstruentes medicamentis expurgemus convenientibus.

40. Pituitosos & biliosos Agarico, Aloe, Elaterio, Rhabarbaro, Pil. de tribus, de Hiera cum Agarico.

41. Melancholicos, polypodio, Epithymo, Helleboro nigro, fol. Senæ &c. unitis vel disjunctis, pro ut humorum confusio exoptulet.

42. Atq; post huiusmodi purgantium usum, si opus fuerit recurramus ad incidentia, donec modo his, modo aluum ducentibus, per intervalla repetitis, sublata fuerit obstructio, ad quem scopum præter allata imprimis accommodata erunt medicamenta confecta ex tartaro, ut sunt tartarum rosatum, vitriolatum, purgans; nam præter incidendi penetrandiq; vim, purgandi facultatem non exigam obtinent.

43. Commendant quoq; nonnulli pluribus anserculorū pullorumq; gallinaceorum excrementum album, ut notat Brahæus; inter quos & Quercetanus est, qui in Pharmacop. c. 20. scribit, horum animalium excrementa exinde mirificam habere incidendi attenuandiq; vim, quod sint introsulphurea, cuiusmodi sunt columbarum, è quibus copiosa nitri quantitas educitur.

44. Ulterius si morbi progressa materies, ut non solum obstruat, sed insuper vel scirrhum efficiat, vel etiam calculi naturam induat, pro diversa indicantium natura, affectioni succurrendum erit præsidij.

45. Cal-

45. *Calculo quidem frangentibus, seu solventibus fortioribus, exempli gratia, succo limonum, Pul. asellorum, Terebinthina, cum aqua saxifragia, resta bouis, parietaria, ac spiritibus Chymicis quos Thes. 38. notauimus.*

46. *Scirrho verò iisdem plane de quibus antea dictum, emolli- tionis saltem ante purgationem diligentiori habita ratione, quam assequimur medicamentis calefacientibus, emollientibus, atte- nuandiq; vim habentibus; ex rad. althea, maluarum, medulla cer- ui, adipe gallinarum, chalybe preparato, & chalybeatis. Ac tan- dem reliquiarum peruias conuenientes discussione.*

47. *Nam cum ex iecoris cauo frequenter per secessum, gibbo, meatus urinarios, humorum facta sit excretio. Lienis autem sub- stantia tum per dysenterias, ut in coacis notauit Hippocrates, tum per hemorrhoidas, & ventriculum nonnunquam Bauhinus Theat. Anat. l. 1. c. 43. atq; utiliter etiam per urinas, nunquam non harum viarum diligens habenda erit ratio. Mercatus de lie- nis affectibus.*

Et tantum de actione læsa, læsa facultate.

48. *Ad eundem planè modum, & errori externo, occurren- dum erit.*

49. *Nam si nulla intemperies, obstructio, in splene, vel cista fuerit, & tamen fiat ICTERVS, saltem videbimus, num affectio aliqua vicinarum partium in causa sit, qualis aliquando in ICTE- RO flauo, fuit dolor colicus, ileus, Epatis tumor, inflammatio, ut in Obseruat. notauit Forestus.*

50. *Si ex copia bilis fiat, ab inflammatione Epatis facta, nec meatuum ad folliculum fellis pertinentium adsit obstructio, alui excrementa erunt naturalia, biliosa; sin horum pariter constipatio, vix à febre patiens erit immunis, omniaq; caliditatis signa erunt intensiora. Atq; ut ex illius meatus qui ad intestina excurrit, &*

B

com-

communis dicitur, obstructione, repente excrementorum fit mutatio, ita ex oppositorum, propter humoris collecti copiam, sensim. Meatum in ICTERO nigro obstructionem arguet, lienis secundum naturam constitutio.

51. Si nullus huiusmodi affectus ICTERI causa fuerit, considerabimus, num causa aliqua bilem abundare fecerint, ut res non naturales, allia, cepa, aer calidus & siccus, huiusq; peculiaris aliqua constitutio, quemadmodum refert Mercurial. l. 3. pract. c. 23. ex Hippocrate, quando dicit, morbum regium quandoq; vagari & ex aeris proprietate abundare, & sic causa nota erit, bilis abundantia.

52. Si acutus & biliosus morbus praecessit, causa patet, scilicet natura excernens, quae vel humoris copia, vel qualitate, aut lacescitur utrisq;.

53. Si causa fuerit victus ratio, mutari debet, sin natura impetus in crisi, nihil nobis erit negotij circa causam, sed solum circa qualitatem relictam, quae erit cura indicationis sequentis; sin bilis abundantia, obstructio meatum, iecoris, purgare corpus oportet, & obstructions aperire, ut superius dictum est; Cura enim folliculi est cura Epatis. Forestus l. 19. Obs. 19. Schol.

54. Eadem ratione si venenum epotum, aut qualitas extrinsecus corpori impressa Icteri causa sit, quam vel ipsi manifestabunt agri, aut inusitata alias Symptomata, propria veneni curatio exigitur, vomitorijs, cucurbitulis, alexipharmacis &c. Hinc Galenus etiam 5. de locis affect. c. 7. seruo imperiali Theriacam propinauit, & Auenzoar Arabs gran. iij. lapidis Bezoardici in aqua rosarum, filium Hali regis, ex virulenta ICTERITIA liberavit, referente Langio. l. 2. Epist. 24.

55. In primis verò nauanda erit opera, ut cuilibet veneno, proprium opponatur Antidoton, veluti si à Leporis Marini malignitate fuerit, quam ICTERV M causare posse monent Pareus l. 20. de Venenis c. 33. Mercurial. l. 3. pract. c. 23. anserinus sanguis calidus



duſ offerri debet, aut Cedria trita cum vino, &c. de quibus pluribus videatur Henricus à Bra. l. de venenis. c. proprio.

56. Sed ne quid ſilentio prætereamus, cum in omni ferè affectione de materia chirurgica aliquid dicatur, quid de illa in præſenti ſentiamus, Galeni verba cuius monſtrabunt quando dicit. l. de purgantium vi. c. 2. Si morbo regio laborantibus ſanguinem miſeris, extremam in pernitiem ages: Quibus quidem verbis, cum ſcientiſſimo Galeno, non ſimpliciter in hac affectione vena ſectionem rejicimus, ſed quando ratione cauſarum, huius non adest indicans.

57. Hamorhoidas enim reſtagnantes, alias ex conſuetudine fluentibus, ratione reuulſionis, in ICTERO nigro reſerendas eſſe, ita clarum cum Platero de diſcoloratione eſſe arbitramur, vt nulla demonſtratione opus habeat, ſed tamen cum iudicio, iuxta illud grauiſſimum Mercati, Tom. 2. l. 1. c. 15. præceptum. Ante verò quam poſtremum fiat, ceſſandum eſt, ne nobis eueniat, quod multis eueniſſe eſt conſpicuum: quod, cum vnum morbum præcauere ſtudent, in grauiora mala laborantes inconsideratè deferunt; Nam facilimum eſt in his fluxionibus ad malum corporis habitum deuenire, ob inordinatum & immodicum ſanguinis fluxum.

58. Priuſquam ad alteram progrediamur indicationem, partes ab affectionibus vindicate, roboranda ſunt, ne vel noua excrementa recipiant, vel etiam priſtinas affectiones incurrant, medicamentis quidem non ſemper vniuſmodi, ſed pro affectionis natura diuerſis, aſſerente Smetio Miſcel. l. 1. Epist. 4.

59. Igitur ſi prægreſſa obſtructio, opportuniſſima erunt, quæ moderatam adſtringendi vim obtinent qualia Epatica conſciuntur ex Abſinthio, Eupatorio, croco Martis, Splenica ſcolopendrio, cort. rad. cappar. is.

60. Sin verò intemperies, intemperiei quodammodo contraria, quibus & agentia tota ſubſtantia addi poſſunt, vt in Epate eſt Epar lupi; Liene puluis lienis equuli; Antidota, Electuaria, quo-

rum ingentem siluam nobis suppeditat Galenus. l. 8. & 9. de comp. med. secund. loca.

Et tantum etiam de errore externo.

61. Sequitur nunc altera **INDICATIO**, qualitatis scilicet vitiosa mutatio. Hac verò cum propria humoris sit qualitas, à qua nulla, si propriè loqui velimus, utilis sumi possit indicatio: neq; enim **ICTERVS** niger, albo remedio, tanquam contrario, curari potest, consequens est, ut huius causam eradicemus, qua eradicata, fieri non potest, quin non & illa protinus euanescat.

62. Verum cum humores ad cutem propulsi difficulter per medicamenta, in specie purgantia dicta, expurgentur, quod eorum reuulsio ad partes internas sit valde longinqua, neq; etiam humores excrementitij per partes principales duci debeant, materiam resoluentia, abstergentia, & per poros cutis insensibiles discutientia, assumenda erunt.

63. Resoluunt & abstergunt, Bal. aquarum thermalium, Nitrosarum, Sulphu. de quibus Mercatus Tom. 2. l. 1. c. 13. Item dulcium, cum oleis, herbis, emolliendi, laxandi, digerendiq; vim habentibus, Chamemeli, Althea, Absinthij.

64. Discussunt, & per poros quidem insensibiles, sudorem mouentia, Exempli gratia, Antimonium diaphoreticum, Rad. Cyclam. lapis Bezoar, inter quæ tamen decoctum ligni sancti celebratur, & tanquam specificum in hac affectione, puluis lumbricorum terrestrium in furno exsiccatorum, cum aqua Cardui benedicti, Angelica, Zedoaria.

65. Post balnea & discutientia generalia, si nihilominus color fædus in facie & oculis perseueret, sternutamenta conuenient, faciemq; æger abluat aqua destillationis peponum, aut aqua balnei, ex herbis emollientibus, de quibus iam dictum, & in materia medica agitur pluribus.

Atq; hæctenus de **ICTERO** flauo
& nigro in genere.



66. *Verum enimverò cum Galenus. 9. M.M.c. 6. dicat, se pro comperto habere, non licere ullius artis scientiam nancisci, nisi quis & methodum quandam habuerit, per uniuersalia theoremata, & in particularibus exemplis se exercuerit, generali parte absoluta, in speciali quoq; aliquid tentabimus.*

67. *THEODORVS* Adolescens 20. annorum, ex Phlegmatica ad Melancholicam vergens constitutionē, natura pallidus, mediocrisq; solutionis, verno tempore, citra sensibiles caloris vel frigoris notas, sensim flauo secundum totum inficitur colore, excrementa alui rarò & cum difficultate excernit, dura, terrea, quæ tamen iam in diem tertium suppressa sunt, urinam verò biliosam, crassam, cibum fastidit, ac assumptum vt plurimum circa vesperam calor sequitur mordicans, pulsus durus, vehemens; Noctes habet inquietas, sentitq; lassitudinem totius non mediocrem, vt & grauitatis sensum in dextro hypochondrio, cum aliquo dolore ac duritie. *Querit quid mali hæc signa portendant, & quæ curandi methodus esse debeat?*

68. *Signa presentis agritudinis, in duplici sunt differentia, quedam enim ipsum Symptoma, quedam verò huius decernunt causam.*

69. *Symptoma ICTERVM esse, qualitas corporis totius mutata aspectabilis, tam clarè demonstrat, vt alijs signis opus non habeamus.*

70. *Causam verò immediatam, humorem scilicet biliosum, ipsa flauedo, propria huius excrementi passio, urina biliosa, calor post sumptum cibum increscens, pulsus durus, inquietudo nocturna, & lassitudo totius.*

71. *Nam cum post factam coctionem, biliosus humor per convenientes naturæ vias ex Epate expurgari non possit, partim per renes in vesicam excernitur, vnde urina biliosa, crassa, partim miscetur sanguini, qui cum qualitates habeat corpori aduersas, calidi-*

tate sua calorem; acrimonia in capite nocturnas inquietudines; siccitate lassitudinem in articulis, ob humiditatis quæ ad motum facit absorptionem; ac tandem in arterijs pulsus producit duritiem, cui succedit eiusdem vehementia, ratione dignitatis, quia afficitur iecur, quod est membrum principalissimum nutritioni destinatum, quæ actio causa vitæ necessaria est.

72. Biliosum autem humorem, non simpliciter, ob nimiam ex biliosis eduljjs, aut calida etiam intemperie abundantiam, cum sanguine in uniuersum corpus diffundi, sed potius iecoris obstructionem, cum aliquali magnitudine aucta, qualitas corporis sensim increpescens, caloris absentia, alui excrementa dura, terrea, sensus grauatiuus dextri hypochondrij, cum aliquali dolore ac duritie, satis coarguunt.

73. Nec non & obstructionis causam coniunctam, vel etiam antecedentem, crassos, viscidos, esse humores, natua hominis constitutio, anni tempus, cibi fastidium, & huiusmodi alia, de quibus prolixius dicendum non est.

74. Concludimus igitur propositum Adolescentem ex obstructione, facta à Scirrho iecoris, in flauum incidisse ICTERVM.

75. Atq; hanc nostram conclusionem exinde falsam non esse arbitramur, quod nulla sensibilis magnitudo aucta appareat, siquidem hæc non semper, vel ob visceris distantiam, vel tumoris ad cauam hepatis vergentiam, perceptibilis, sed vt plurimum ex alijs signis cuiusmodi habuimus, rationabilis.

76. INDICATIONEM ex dictis colligimus duplicem, alteram præseruatoriam, quæ spectat causam, tam antecedentem, quam coniunctam; illam quidem ne vel fiat, vel facta affluxu tumorem augeat; hanc verò ne eundem actu foueat, cui & illa quæ ab intemperie visceris desumitur, subiungi poterit, huius nimirum alteratio. Alteram, quæ coloris continet mutationem, & ICTER I propria est.

77. Quid de propositis INDICATIONIBVS statuendum

dum sit, facile constabit, cum ex parte affecta principali, cuius temperie participat totum corpus, tum morbi specie; qua ut plurimum auxilijs medicis ita resistit, ut omnem medici illudat operam, nec non causis peccantibus, quarum eradicatione semper aliquid virtuti detrahitur. Ut autem proposita indicationes difficultatem contineant maximam, tamen cum salutis spem habeamus ex aetate iuuenili, ac restitutorum exemplis. Indicationes ordine videbimus, sumpto à Dieta exordio.

78. Ergo ne malū indeterius abeat, ratione praeservationis, probamus victum causis obstruentibus contrarium, scilicet abstergentem, incidentem, calefacientem, qualis esse possunt iuscula caponum, gallinarum, quibus radices Cichoreæ incocta sint, cum momento croci, cinamomi, & guttis aliquot spiritus Vitrioli, vel per se, aut circumfusa probe mundato hordeo, horumque animalium carnibus. Vini si delectatur, in primis post primarum viarum euacuationem, bibat Rhenanum, Chalybeatum, Absinthiacum, Cereuisias verò crassas & fœculentas, omni euitet diligentia, ut & nimios animi affectus, motus corporis, frigidiorisq; aëris impetus.

79. Rebus non naturalibus via quasi ad curationem parata, principalis cura erit, ut humorum è ventriculo & intestinis ad Eparruentium inhibeamus impetum.

80. Ad quem, etsi communiter tam lenientia quam vomitoria accommodata sint, tamen non sine causa aluum lenientibus in proposito Adolescente contenti erimus, quia insomnes habet noctes, atq; ita de capite conqueritur, neq; etiam vomitus citra violentam affecti epatis fieret agitationem, ob vicinitatem ventriculi.

81. Fieri autem alui lenitio poterit, Syrupo rosarum solutiuo, Hiera Galeni, Syrupo de Cich. cum Rhabarbaro, fumaria; Exempli gratia sit formula sequens.

R. spec. Hiera. s. züß.

Syrupi Rosarum solutiui. q. s.

Mis. F. Bolus, de auretur, deturq; cum sacharo.

82. Ve-

82. Verum ut tuto rem aggrediamur, cum aluus officio per tri-
duum functa non sit, humoresq; ventriculi aliquas ferant inducias,
ne difficilis molestaq; succedat purgatio, antequam Bolum assumat,
sequens Enema præmittemus.

R. Malua
Althea
Violarum aa. M. j.
trium flor. cord. aa. P. i.
passularum ℥i℥.
Cent. minoris
Absinthij. aa. ℞℥.
Coq. in suff. q. aq. hord. s. ad iij.
Colatura R. lib. j. cui adde
Elect. Diacathol.
Ol. Chamomelini aa. ℥iij.
Salis ℥j.
Mis. F. Enema.

quod tribus horis ante prandium admittat, & sequenti mane bo-
lum subiungat.

83. Lenita aluo, profligataq; ex primis viis causa antecedente,
ipsa obstructionis succedit continens; Hæc verò cum ex pituitosis
melancholicisq; humoribus conflata sit, horum quoq; indicatur eua-
cuatio.

84. Cuius etiam gratia, ut omnem ad expulsionem, quam in
presentia ob crassitiem, visciditatem, Epatisue duritiem, nondum
habent, sortiantur aptitudinem, coquentibus subinde repetitis, la-
borandum erit, cuiusmodi sunt quæ in hunc ferè modum coniungi-
mus.

R. Absinthij.
Centaurij min.
Eupatorij aa. M. j.
Rad. Fœniculi
Apij aa. ℥i℥.
Costi veri ℥℥. infun-

infundantur in suff. q. vini Rhenani per diem integrum, ac postea
longa ebullitione bulliant, factaq; forti expressione.

R. Colatura lib. iij. quibus adde
Syrupi Cich. cum Rhab.

Eupatorij aa. ℥iij.

Spiritus vitrioli

Tinctura Martis aa. ℥ij.

Mis. F. Potio pro 4. dosibus matutinis.

85. Utile etiam erit quolibet mane cum huiusmodi potione ex-
hibere duas vel tres Pillulas, confectas ex Trochiscis Rhabar: Ab-
sinthij, Chalybe preparato, Ammoniaco, cum succo Absinthij, Cen-
taurij minoris, siue etiam eius masse qua Pillularū de tribus nuncu-
patur, egregiè siquidem eiusmodi medicamenta canalium obstru-
ctiones propulsant, ac viscerum naturalium pariter robur confirmant.

86. Ad eundem scopum eò citius assequendum, Omentum quoq;
in OL. Nardino, vel Irino, maceratum, aut sequens unguentum,
Epatis regioni applicari poterit.

R. Emplastri de Ammoniaco

Foresti ℥ij.

OL. Absinthini

ouorum aa. ℥ij.

Pul. schenanti ℥ij.

Mis. F. Unguentum.

87. Preparata materia, quod tamen non ita cito fieri solet, si-
gnisq; coctionis cum Epatis mollitie apparentibus, ut humorum ex
Epate aliquam euacuet copiam.

R. Rad. Polypodij quer.

dentis Leonis. aa. ℥ij.

Coq. in suff. q. aq. simpl.

Col. R. ℥iij.

Adde Ext. Hel. Nigri gr. XIII.

Rhabarbari ℥ij.

C

Syrupi



Syrupi Cich. cum. Rhab. ℥j.

Mis. F. Potio Matutina.

88. *Vel si Pillulas mauult.*

R. Extr. Helleb. nigri gr. XVI.

Rhabarbari ℥ij.

Salis Absinthij

Nitri. aa. gr. iij.

Mis. F. Pill. VII. deaurentur.

quibus in aurora assumptis, superbibat haustum vini optimi.

89. *Post factam purgationem iterum attenuantia & conco-
quentia ex usu erunt, cuiusmodi inter alia sunt decocta gallorum
medicata; tandemq; purgantia, raro enim in huiusmodi affectibus
una purgatio sufficit; De quibus tamen cum indicans nondum
actualem habeat existentiam, nihil determinare possumus.*

90. *Atq; hanc curandi rationem, cum aliquandiu continuaue-
rimus, mutabimus postmodum in eam, quæ urinas mouet, quæ iudi-
cio nostro ceteris huic affectioni commodior existit, utpote quæ me-
dicamentis perficitur, quæ præter id quod vim habeant aquosam
substantiam per renes ducendi, potentiam quoq; sortiuntur calefa-
ciendi, ac sese insinuandi in abditas iecoris particulas.*

91. *Antequam ad alteram transeamus Indicationem, ex mode-
rate adstringentibus & occulta qualitate partem affectam roboran-
tibus, Epaticum tale fiat confortans.*

R. Hepatis Lupi ℥ss.

Mitridatij ℥ij.

Croci. Martis ℥iſs.

Cons. Flor. Aquilegia

Hepat. Nobilis aa. ℥ss.

Rad. cond. Cichorij ℥j.

Mis. & cum Syrupo de Eupatorio

Cinamomo aa. q. s.

F. Electuarium

Cuius quotidie è lecto surgens capiat ℥j.

92. *Re-*

92. Restat altera indicatio qualitatis videlicet visibilis mutatio, qua non multum nobis potest facessere negotij: Nam Symptoma in qualitate mutata insigne malum non est; curato enim morbo, & causa obstruente profligata, sapissimè sua sponte evanescit. Gal. de Purg. facul. c. 2.

93. Verum cum non rarò ob cutis densitatem, & humorum crassitiam, breui solâ naturâ vinci non possit, ut existentes in uniuersa corporis superficie tollamus; sequenti Balneo corpus immergat.

R. Chamomelini

Altheæ

Parietaria aa M. ij.

Absinthij

Fœniculi

Petroselini cum toto aa. M. j.

Nitri ℥ij.

Coq in suff. q. aq. simpl. pro Balneo.

Tandemq̄ restantes, Antimonij diaphoret: ℥j. & vini Rhenani quarta dimidia, in lecto discutiatur.

94. Et tantum de INDICATIONIBVS propositis; quod si autem vigilia quarum in historia facta fuit mentio, constantes, pertinacioresq̄ fuerint, ne virtus plane deiciatur, pro occasione Unguentum ex OL. Mandrag: Papaueris, vng: populeo, & opij crociq̄ granis aliquot, capiti applicabimus, ac si somnus non successerit, emulsione insuper cum Laudani, vel aq. Saonarolæ modico, urgebimus.

95. De Venæ sectione que dicamus, non habemus, cum huius absit indicans, Ergo & illa in proposito Adolescente aberit, sunt enim præsidia sine indicantibus incongrua, irrationalia, & semper plus damni adferunt quam commodi, ut alicubi loquitur Capiuaccius.



COROLLARIUM.

CUm commune quasi Medicorum vitium esse dicatur, ut postquam medicamentis frustra defatigarint ægros, si res non succedat, nulla alia consideratione habita, relegent miseros patientes ad aquas Thermarum, tanquam ad sacram anchoram, non considerantes, an aquæ illæ conueniant, aut non conueniant, sed ut ignorantes naturam morbi, suæ tamen existimationis, ac inscitia habeant pallium. Non immerito quæritur; An patiens etiam hic noster, si præscripta, & consimilia non satisfecerint præsidia, in Thermas Hirschbergenses, quarum historiam habemus in peculiari libello à SCHVVENCKFELDO edito, vel etiam in opere Consil. SCHOLZII Consil. 383. cum ratione ablegari possit. Etsi autem multa dici possent, quamobrem secundum aliquos harum Thermarum vsus, in præsentis casu admitti non debeat, tamen cum satis frigida sint, ac vix repetitione digna, affirmatiuam conclusionem saltem monstrabimus sequenti. Quando cunq; adsunt indicantia, tunc illa præsidia conferunt quæ indicantur. Capiuac. in opere Consil. SCHOLZII, Consil. 226. Sed in proposito patiente harum Thermarum indicantia adsunt. ERGO. Maior fundamentum est methodi medendi, ac proinde probatione nulla indiget, cum omnibus Medicis peritis sit axiomata. Minor probatur. I. quia ratione scirrhi, indicatur emolliens, attenuans, calefaciens, discutiens; Thermæ autem Hirschbergenses emolliunt, attenuant, calefaciunt, discutiunt, ratione sulphuris, salis, ferri, ut constat ex adductis artificibus, & prolixius probari posset ex ipsis mineris,

ris, inprimis verò harum liquoribus, aquis scilicet Chalybeatis, spiritu sulphuris, Chalcanthi, quibus ad absumendos scirrhos obstructions aperiendas, calculos dissolvendos, vix reperiuntur præstantiora: neq; inconueniens seu irrationalis hæc dicenda esset consecutio, ab aqua Chalybeata, ad aquas Thermarum: Nam vt Chalybis efficacia se habet ad liquorem, ita & mineræ ad aquam fontis. Etsi autem sulphur dicatur siccum, non propterea tamen harum Thermarum vsus pertimescendus erit, cū rationali methodo exhiberi debeant, neq; nimia illa siccitas de omnibus sulphuris partibus indifferenter intelligenda sit, sed terrestrioribus præcipuè, quarum in Thermis nostris non abundat copia, vt patet ex coctione, qua virtus Thermarum medicamentosa perditur. Adstrictione igitur sua potius partes roborabunt, ac post vitiosæ materiæ attenuationem, incisionem, viaq; vrinarias discussionē, magis magisq; confirmabunt, tandemq; ex necessitate exsiccabunt, quæ tota scirrhusi tumoris curatio est. 2. Rationē humoris in cute hærentis dictæ etiam Thermæ ex vsu erunt, quia vim abstergendi & resoluendi obtinent, quæ magis promouetur aqua simplici. Ergo concludimus, & ratione obstructionis, & humoris in cute hærentis, à quo qualitas mutata aspectabilis, Thermas nostras esse vtilis, ac proinde patienti proposito nulla ratione interdicendas. Quod si autem alicui forsan ægro huic nostro consimili res male cessisset, Thermarum culpa factum non admittimus, quæ semper eandem obtinent potentiam, sed aut morbi magnitudinis, aut ægri, aut illorum qui fuerunt præsto, de quibus plura dicere desino.

C 3


QV AE-

QVÆSTIO
AN ICTERVS ANTE SEPTI-
MVM LETHALIS? N.

Etsi non leuis de huius quæstionis certitudine fuerit du-
bitatio: tamen cum dubitationis causam nullam ferè
fuisse aliam præter Plinij animaduertamus negligentiam,
quando in allegatione verborum Aphorismi Hipp. 62. l. 4.
mortiferum, pro malo, substituit: Non videmus rationes
sufficientes ob quas quæstio negari non debeat; Præter ex-
perientiam enim Hollerij, Foresti, & aliorum, hanc ipsam,
ipse confirmat Hipp. in l. Epidem. & de rat. vict. in acut.
cuius sententiam huiusq; veritatem, si quis requirit diligen-
tius, videat Marcel. Donatum l. 1. hist. med. mirab. c. 9.
Concludimus igitur sine ambagibus, morbum regium non
• simpliciter ante septimum esse lethalem, peiorem tamen vt
plurimum illo qui post septimum, propter materie copiam,
cruditatem, turgentiam. Atq; hæc conclusio planè conue-
nit cum ijs, quæ generaliter tradita sunt ab Hipp. & Galeno
1. Epid. §. 2. vbi asseritur coctionis celeritatem, iudicij &
salutis securitatem portendere, cruda autem, aut dolorem,
aut diurnitatem, aut recidiuam, aut mortem. Ergo si
ICTERITIA in febris fiat ante signa coctionis, mala, si
post illa, melior, dicenda erit.

τῷ θεῷ δόξα.





99 A 6903

(Nr. 24)

nicht

(Nr. ~~ausgegeben~~)


(25 Handschrift)

(9)

ULB Halle

3

002 636 220



VD17

TA-OL



52.
DISPUTATIO
DE
ICTERO FLAVO
ET NIGRO,

Quam
In illustri Academia IVLIA,

SUB PRAESIDIO
Viri Clarissimi, Excellentissimi,
DN. IOANNIS WOLFII,
PHIL. ET MED. D. AC
Professoris publici,

Publico examini subijcit
VALENTINVS EMERICVS,
CERVIMONTANVS SIL.

Ad d. 15. Aprilis
IN AUDITORIO MAIORI.



HELMAESTADI
TYPIS IACOBI LVCII,
—
c1o 1o cXIV.

